Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Walter Wienke

# De Restricto Parentvm Ivre Pvniendi Liberos Illisqve Deneganda Avctoritate : Hos Regastvlo Inclvdendi Commentativncvla

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1758?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002512646

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU jurist. 26.April.1758
Wienke, Joh. Walt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002512646/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002512646/phys_0002
DFG

DE

# RESTRICTO PARENTVM IVRE PVNIENDI LIBEROS ILLISQVE DENEGANDA AVCTORITATE, HOS ERGASTVLO INCLVDENDI COMMENTATIVNCVLA

QVAM

VIRO

PRAECELLENTISSIMO

DOCTISSIMOQVE

GVILIELMO ALEXANDRO SCHWOLLMANNO,

PHILOSOPHIAE ET ART. LIB. DOCTORI

IN ACADEMIA NOSTRA AD VARNVM HVCDVM

BENE MERITO,

ET SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAE, QVAE HELMSTADII

FLORET MEMBRO DIGNISSIMO,

OB

ITER IN PATRIAM NVM. DIV. AVSP.

SVSCEPTVM

IN AMORIS ET GRATITVDINIS TESSERAM

RELIQVIT

IOANNES WALTER WIENKE

ROSTOCHIENSIS

L. L. C.

---

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

1758. 21. April.

21

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002512646/phys_0003 DFG

## §. I.

Non exiguam animum meum ſubire dubitationem fateor, qua fronte, quantulam cunque hanc ſcriptionem grauibus viris probaturus, vel a durioribus iudiciis liberaturus ſim. Non rei ipſius dignitas minus, quam occupata iam a doctiſſimis viris mox a me nominandis, quorum generalis tractatio affectum iſtum fouere vel augere etiam non immerito videatur, ac veniam mihi polliceri difficiliorem: Quam tamen, ſi exſpectare mihi aliquam ſaltem fas fuerit, tum ea forte non indignus videbor, ſi, quod periculum ingenii facere ſuſtinui, non vt alios magnopere docere, multo minus magnis iſtis viris plus ſapere viderer, a me inſtitutum fuiſſe profitear. Notaueram inter operam, quam huic ſtudio lubenter inſumo,

quod eruditorum opiniones de iuris parentum in liberos origine et fundamento, ſi colligantur, tot fere eorum ſenſus deprehendantur, quot in literario orbe exiſtunt capita. GROTIVS, omnium naturalis iurisprudentiae conſultorum anteſignanus, ac huius ſcientiae primae magnitudinis ſtella, ſolam generationem fundamentum patriae poteſtatis eſſe dixit. Ius enim in perſonas explicaturus, tribus modis illud adquiri dicit in aureo de I. B. et P. opere lib. II. Cap. IV. §. I. generatione, conſenſu et delicto. Et quidem *generatione* inquit, *parentibus ius adquiritur in liberos, vtrique inquam parentum, patri ac matri.* Non quidem plane a vero aberrat vir ſummus, ſed inter reliquos omnium optime patriae poteſtatis fundamentum tetigit. Sentit cum eo WERNHERVS, niſi quod conſenſum aliquem praeſumtum addendum exiſtimauerit. Vir illuſtris et de iure naturali inſigniter meritus, agnoſcens rectitudinem rationis *Grotianae*, videnſque multa adhuc deſiderari, vt euidens fiat, in diſſ. *iur. nat.* diſſ. VIII. §. 4. per *praeſumtum ob generationem ex aequitate in liberis conſenſum* GROTII ratiocinium ſubleuare voluit, quem conſenſum praeſumtum tamen ante §. I. reieciſſe et in PVFENDORFFIO vituperaſſe videtur. Nam diſſ. cit. PVFENDORFFII argumentum labefactans: *ais*, inquit, *euincere haec, expreſſum in infante conſenſum locum non habere*, *quo ipſo tamen non tollatur praeſumtus, qui in eum omnino cadat. Sed qui praeſumi in eo conſenſus poteſt. Praeſumtus enim conſenſus reſpicit expreſſum, ita, vt is naturaliter et proprie in nullo ſubiecto adeſſe queat, in quo hic locum non inueniat.* Vt vero contradictionem euitet, ſtatim quidem addidit: *verum tamen notandum, praeſumtum hunc conſenſum non eſſe ex facto proprio, ſed fingi ex aequitate, vnde et hoc caſu obligatio non tam ex contractu deſcendere, quam ex re ipſa dicitur.* Sed hic vir illuſtris re vera nobiscum ſentit, per conſenſum praeſumtum nihil aliud intelligens, quam officium, quod ex re ipſa oritur. Sic vero nulla opus eſt fictione, nulla aequitate. Hac ratione verum dicit, dum §. 4. *inter generationem*, inquit, et *obligationem intermedius eſt conſenſus liberorum, non quidem ex facto proprio, ſed mera aequitate ob generationis beneficium in genitis praeſumtum*

*tum.* Sed quum obligatio ex conſenſu per meram aequitatem ficto, ipſo dicente auctore illuſtri, nihil aliud ſit, niſi obligatio ex re ipſa orta, qualis quaeſo illuſtratio et ſubleuatio argumenti eſt, ſi addimus: *obligatio haec ex re ipſa oritur?* Supplenda ergo plane adhuc alio modo erit *Grotiana* demonſtratio.

§. II.

HOBBESIVS, qui aureae huius ſcientiae corruptor et deprauator audit, omnem rei cardinem in eo verſari vult, quod mater in ſtatu, quem ſibi fingit, bellico, liberos occupauerit, ac ergo iure victoriae, ſola in eos dominium adquiſiuerit. Naturam enim humanam ita comparatam eſſe putat, vt non poſſit non in perpetuis homo viuere bellis. Per experientiam hanc theſin patere putat, eamque ex aequalitate hominum naturali, ex comparatione ingeniorum, qua et ex appetitu plurium ad eandem rem comprobare annititur, in lib. de *ciue* cap. I. conf. et *Leuiath.* cap. XIII. PVFENDORFFIVS duplicem adeſſe cauſſam adſerit, curam ſcilicet liberorum parentibus per leges naturae iniunctam, ac conſenſum aliquem tacitum, vel, vti potius vocandus fuiſſet, praeſumtum. Sic enim de off. H. et C. lib. II. §. 2. loquitur: *oritur imperium parentum in liberos duplici potiſſimum de cauſſa,* primo, *quia ipſa lex naturalis, dum ſociabilem eſſe hominem iuſſit, parentibus curam liberorum iniunxit. Deinde id imperium tacito quoque conſenſu prolis nititur.* LEHMANNVS in notis ad h. l. *nutritionem* et *educationem* pro iis habet, quae ius parentibus in liberos tribuant. Format hinc iuris huius ad §. I. l. c. not. (*) n. 3. p. 447. hoc principium complexum: *quidquid natura et finis ſtatus paterni, nempe nutritio ſobolis et educatio, propagationi ſpeciei humanae accommodata, requirit agendum omittendumue, illud omnino agere debemus aut omittere.* PVFENDORFFII de ratione quid ſentiendum, iam egregie indicat WERNHERVS l. c. 12. et FLEISCHER *inſtit. jur. nat.* lib. III. Cap. III. §. 3 ſeqq. Prima eius ratio hodie vbique fere accipitur, ac eadem cum LEHMANNI principio eſt. THOMASIVS, cum quo et BVDDEVS,

 facit

facit, omnem rem ad officia humanitatis deferunt, ſic ipſi debilitatem argumentorum produnt. Quidquid enim eſt officium humanitatis, ad id cogi non poſſum. Ergo nec parenres, vt officio ſatisfaciant, nec liberi, vt beneficia recipiant, cogi poſſunt. Sed ſi verum fateri licet, pleraque haec fundamenta, rationes et cauſſae nihil aliud inferunt, quam quod parentum aliquod officium ſit, educandi liberos. Hinc dein ſua ſponte fluit, idem de patria poteſtate dicendum, et adhuc multas ſubeſſe difficultates, num iuris huius excercitium vi a liberis extorqueri poſſit, an minus? Nos fundamentum in principio de reſtricto parentum iure puniendi liberos, illisque deneganda auctoritate hos ergaſtulo includendi ponentes faciemus periculum.

## §. III.

Principium omnis iuris naturalis: *perfice te*, in quatuor principia ſubordinata reſoluitur. 1) Perfice te ac ſtatum tuum 2) perfice alios, eorumque ſtatum. 3) Noli te ſtatumque tuum imperfectiorem reddere; 4) noli alios facere imperfectiores. Fluit exinde, quod parentibus quoque ob eorum obligationem educandi prolem ab ipſis procreatam ius dirigendi actiones illius ad eius conſervationem atque felicitatem competat. Et recentiores plerique omnes fundamentum hoc ad obligationem educandi liberos reuocant. Actiones enim noſtras dirigere debemus ad aliorum felicitatem. Ergo ſi alter, ad quod obligatur, non habeat in ſua poteſtate, ego autem habeam in poteſtate mea, ipſi ſuccurrere debeo. Ergo liberorum procreatorum, cum ſemet ipſos educare nequeant, educatio ab aliis ſuſcipienda. Ergo, cum nulla ratio ſit, cur aliis potius, quam parentibus educandi competat cura, parentes obligati ſunt, ad educandos liberos. Ad quod obligatus ſum, ad id habeo ius. Ergo parentes habent ius educandi liberos. Vid. WOLFII *vern. Ged. von dem geſellſchaftl. Leben der Menſchen* §. 80. *ſeqq.* et eius epitomat. THVMMIGIVS in *inſtit. phil.* WOLFII part. II in iur. nat. §. 315 *ſeqq.* et alios.

§. IV.

## §. IV.

Ius eſt facultas agendi per legem conceſſa, et quidem ſi perlegem cogentem nobis competit, *perfectum*, et ſi per legem non cogentem, *imperfectum* audit. Et quum pro varia huius legis ſpecie etiam obligatio dividatur, veriſſimum eſſe patet: ad quod perfecte obligatus ſum, ad id habeo ius perfectum, etſi quidem inuerſe haec theſis non procedat. Quum ergo ius dirigendi actiones alterius conceptum imperii exhibeat (*p* notoria I. Nat.), adparet quoque parentibus competere imperium in liberos (§. III.) Aut me omnia fallunt, aut ex hoc principio ſequentes vt fluant concluſiones, neceſſe eſt.

## §. V.

I) Liberos naturali aequalitate, ſi reſpectu parentum conſiderantur, minime gaudere; ſed illos

II) Subiectos eſſe imperio parentum.

III) Parentibus eſſe tribuendum ius, normam,

ſecundum quam actiones ſuas inſtituant, liberis praeſcribendi, et ſi normam eam ſequuntur, praemia illis dandi, ſin minus, poenis ob transgreſſionem regulae iis praeſcriptae illos adficiendi, bonaque illis detrahendi.

## §. VI.

Parentes gaudere iure poenas liberis irrogandi, liquet ex §phi praecedentis membro tertio. Quumvero parentes conſiderari póſſint in duplici reſpectu, vel in relatione ad ciuitatem, vel ſine reſpectu ad ciuitatem; et utroque reſpectu ius eorum puniendi liberos limitibus circumſcriptum eſſe adſerendum eſt.

## §. VII.

Quod parentibus extra ſocietatem ciuilem conſtitutis minime competat illimitatum ius puniendi liberos, vel ex eo cognoſci nullo negotio poteſt, quod tum demum eo iure gaudeant,

deant, ſi in obligationem illam, quae parentibus incumbit ad educationem prolis in ſalutem eius melius inſtituendam, vt medium incurrat. Quodſi vero illud ius plane illimitatum eſſet, nonne parentibus extra ſtatum ciuilem viuentibus, omnibus circumſtantiis, nullo reſpectu habito ad felicitatem ſeu infelicitatem prolis, licere deberet, vt liberis poenas infligerent? Quod tamen ius per ſupra oſtenta illis denegatum eſt. Patet igitur quam luculentisſime iuris iſtius limitatio reſpectu parentum, qui in libertate naturali et ſupra leges ciuiles degunt.

## §. VIII.

Probatum iuimus in §. praecedente, parentibus in ſtatu naturali viuentibus tantum ius puniendi liberos limitatum tribui debere. Iam nobis adhuc euincendum erit, eandem theſin in eos quoque quadrare parentes, qui in ciuitatem ſubierunt. Iuris civilis hodierni principia hic facillimam nobis ſuppeditant probandi viam. Ex his enim conſtat, quod munus iudiciale domeſticum, quod egregie contra Bynkershoeckium defendit Ill. Gebauer in diſſ. de patria poteſtate Cap. II. §. 4. et 6, vi cuius pater romanus ſententia domi ſuae iudiciali ordine celebrata, in filium ſuum nocentem capitaliter animaduertere potuit, patri ereptum ſit, ſola caſtigatione modica illi ſolummodo relicta. L. 3. C. de patr. pot. L. vn. C. de emend. propinq. L. vn. C. de his qui par. vel lib. occid. Diſcimus porro ex iure romano, ius liberos vendendi minime parentibus tribui poſſe. L. 27. C de liber. cauſſ.

Quibus ex exemplis, qui limitationem patriae poteſtatis, intuitu iuris puniendi, reſpectu parentum in ciuitate degentium non perſpiciat, inuenietur plane nullus.

## §. IX.

Poſſemus itaque plurium exemplorum allegatione ſuperſedere, vnicum tamen adhuc adduxiſſe iuuat: ſcilicet, quod parentum, qui in ſocietate ciuili viuunt, poteſtas in eo quoque reſtricta ſit, quod iis non competat ius liberos ergaſtulo includendi,

dendi. Quam propoſitionem negatiuam vt probemus, ſequens ſtruimus argumentum: Si poena ciuilis ſiue publica ob factum illicitum alicui infligenda, a iudice publicae auctoritatis ex meritis cauſſis, et naturali iudiciali ordine obſervato, eſt irroganda; ſequitur, vt pater in ciuitate ordinarie facultate liberos in ergaſtulum immittendi ſit deſtitutus. Sed verum eſt prius, ergo et poſterius. Quod antecedens principiis tum iuris publici vniuerſalis, tum iurisprudentiae ciuilis hodiernae reſpondeat, et ſimul vt verum aſſumi poſſit, patet ex KOEHLERI *Iure Sociali* Spec. V, §. 1102 *ſeqq.* Conſequentiam maioris probo ex eo, quod ergaſtulum hodie aequiparetur poenae fuſtigationis item relegationis praeuia proſtitutione dictandae Conf. Per-Ill. MANTZELII Anteceſſoris in hac alma celeberimi, praeceptoris nunquam ſatis colendi diſſertationem de ergaſtulis prouincialibus commode adornandis, et quidem §. XV.

Quae quoque aequiparatio ergaſtuli cum poena fuſtigationis et poena *des Schandphals* in terris brunsvicenſibus obtinet. Quod nemini conſtitutionum brunsvicenſium ſatis gnaro ignotum eſſe poteſt, nullus quoque harum conſtitutionum conſcius negabit. Praeterea non poſſumus non, quin obiter notemus, in quantum damnum prolis hoc ſaepiſſime emergeret, ſi poteſtas liberos in ergaſtulum mittendi parentibus conceſſa eſſet. Nonne facile fieri poſſet, vt forſitan parentes impii ſua in liberos poteſtate in fraudem boni publici, aut ad iniquam iſtorum oppreſſionem vterentur?

## §. X.

Aliud argumentum nobis adhuc ſuggerit Celeb. GOTTL. RICCIVS in Spicileg. Juris Germanici p. 446. vbi mentionem facit priuilegii ciuibus norimbergenſibus conceſſi, vt illis liberos in ergaſtulum detrudere liceat. Ex his, quae ibi a RICCIO referuntur, ſic concludimus: Si ciuibus norimbergenſibus per priuilegium datum eſt ius liberos ergaſtulo includendi,

ſequitur, vt ordinarie facultas iſta parentibus non competat. Antecedentis veritas liquet ex RICCIO l. c.; conſequentia ſe legitimat ex notione priuilegii, quod exceptio eſt a regula communi. Quae quidem ſunt rationes, in quibus fundo ſententiam meam, puta: parentibus non eſſe ius liberos in ergaſtulum mittendi.

Satis iam VIR CLARISSIME, OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDE AMICE, de hoc argumento me diſſeruiſſe arbitror, praeſertim, quum ipſa breuitate placere cupiam Neque mea mente excidit, quo fine ſcribere inſtituerim, ſcilicet, vt triſtitiam ex TVO abitu perceptam declarem, feliciſſimosque precer rerum TVARVM et in poſterum ſucceſſus. Quin ea nunc tempora duriſſima ad parandum diſceſſum mox a TE experiendum, nunciusque ex auditorum TVORVM ac amicorum conſpectu abeundi, acerbiſſimus, adeo meum perturbant animum, vt prae nimia moeroris vehementia, plenius exactiusque perducere inceptum non valeam. Quodam autem modo TVVS abitus certe iucundiſſimus me reddere poteſt iucundum, ſtationisque TVAE in noſtra *Alma Varniaca* cum alia commutatio, officio me duplici, vno auditoris, amici altero, adfecit laetitia, et o! quam eximium fructum, quamue recordationem adferre vtrumque poteſt dulciſſimam! Itaque ingrati amici notam non effugerem, ſi hoc praetermitterem tempus gratulandi! hucdum honorifice actam prouinciam, in qua ſe TVA et eruditio et virtus oſtentat. Pietas itaque erga TE, VIR *Excellentiſſime*, ſcriptionis huius ratio eaque ſufficiens eſt. Suſcipe ſerena iſta, qua omnes TIBI deuincis, fronte hoc pietatis ac amicitiae meae monumentum, quod, cum ſentiam, quam leue ſit atque exiguum, pretium omne ab eruditis TVIS praelectionibus, inprimis quoad partem hiſtoricam et animo, quo offertur TIBI deuotiſſimo expectat. Nihil profecto optatius, neque omni vita mihi potuiſſet accedere iucundius, quam occaſio haec, dudum exoptata, ſumma nimirum cum animi voluptate declarandi, quantum

TE,

TE, TVAMque aeſtimem eruditionis ſoliditatem; quanto inſuper emolumento TVIS interfuerim eruditis praelectionibus tam *hiſtoriae litterariae* quam *oratoriis* ac *poëticis*, quotidiana fere conuerſatione inſtitutis. Vbicumque TEcum fui, ibi fui cum voluptate, abii nunquam nonnullo absque ſcientiarum incremento. Ad diſciplinas enim tractandas, ad ſtudia exercenda et ad docendum vel voce, vel literis naturam TE habere accommodatam in propatulo eſt, ſed penes alios eſto iudicium. Effatum viri cuiusdam *in proluſ. de doctrinae laudibus*, de literis elegantioribus, ex mente veterum, omnino meritiſſimi, memoratu dignum et in TE cadit: *ſolam iuſtam*, inquit, *commendationem efficere poſſe eruditionem veram doctrina dignam, docentibus pariter ac diſcentibus vtilem, probandam, laudandamque.* Et quam multa commemoratione digna de TE in medium proferre poſſem, niſi ſcirem, TE plane noſtra indigere commendatione poſſe ac velle. Paucis TIBI verbis indico gratiſſimum, quem iam, vt ſpero, cognoviſti, animum ſincerum et non fucatum, pro TVA ſingulari beneuolentia et amoris erga me TVI candore, ſtudiisque hucdum praeſtitis, quibus *Cicerone* docente nihil eſt, quod effici non poſſet. Spero exinde, gratulationem meam, optimo ex animo coram factam TIBI fore probatiſſimam, vt vberiori per litteras confirmatione non indigeat. Deus immortalis, cujus gloriam, omnibus in TVIS conatibus, magnam ſemper efficiendam TIBI propoſuiſti, cumulatiſſime vigiliarum laborumque fructum, ſalutem nempe ac felicitatem VIRO CLARISSIMO ac AMICISSIMO tribuat, quo TVVS, vbi locorum etiam ſit, multi gaudii dulcedinem poterit percipere deditiſſimus amicus. Quod reliquum eſt, VIR CLARISSIME, ſempiterno me fauore TVO atque amore complecti perge. TVque haud patere, vt locorum, quae nos disiunget, diſtantia priſtinae amiciciae vinculum diſſoluat. De me enim ſic habe, nullum tempus futurum, quo minuatur erga TE mea pietas, veneratio mea, ſincerusque animi adfectus. Vale! Scribebam Roſtochii die XXVI. Aprilis A. O. R. MDCCLVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002512646/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002512646/phys_0016
DFG

VAMque aeſtimem eruditionis ſoliditatem; quanto
emolumento TVIS interfuerim eruditis praelectio-
m *hiſtoriae litterariae* quam *oratoriis* ac *poëticis*, quotidiana
uerſatione inſtitutis. Vbicumque TEcum fui, ibi fui
luptate, abii nunquam nonnullo absque ſcientiarum in-
to. Ad diſciplinas enim tractandas, ad ſtudia exer-
t ad docendum vel voce, vel literis naturam TE ha-
commodatam in propatulo eſt, ſed penes alios eſto iu-
Effatum viri cuiusdam *in proluſ. de doctrinae laudibus*,
s elegantioribus, ex mente veterum, omnino meritis-
emoratu dignum et in TE cadit: *ſolam iuſtam*, inquit,
*ationem efficere poſſe eruditionem veram doctrina dignam, do-
pariter ac diſcentibus vtilem, probandam, laudandamque.* Et
ulta commemoratione digna de TE in medium pro-
ſſem, niſi ſcirem, TE plane noſtra indigere commen-
poſſe ac velle. Paucis TIBI verbis indico gratiſſi-
quem iam, vt ſpero, cognoviſti, animum ſincerum et
atum, pro TVA ſingulari beneuolentia et amoris
e TVI candore, ſtudiisque hucdum praeſtitis, quibus
docente nihil eſt, quod effici non poſſet. Spero exin-
tulationem meam, optimo ex animo coram factam
ore probatiſſimam, vt vberiori per litteras confirma-
on indigeat. Deus immortalis, cujus gloriam, omni-
TVIS conatibus, magnam ſemper efficiendam TIBI
iſti, cumulatiſſime vigiliarum laborumque fructum,
nempe ac felicitatem VIRO CLARISSIMO
ICISSIMO tribuat, quo TVVS, vbi locorum
t, multi gaudii dulcedinem poterit percipere deditis-
nicus. Quod reliquum eſt, VIR CLARISSIME,
rno me fauore TVO atque amore complecti perge.
haud patere, vt locorum, quae nos disiunget, diſtan-
inae amiciciae vinculum diſſoluat. De me enim ſic
ullum tempus futurum, quo minuatur erga TE mea
veneratio mea, ſincerusque animi adfectus. Vale!
am Roſtochii die XXVI. Aprilis A. O. R. MDCCLVIII.